[Caput sextum.]

Quid post mortem Lantgravii beata Elyzabeth egerit, vel qualis ejus vita fuerit Ysendrudis Ysendrudis religiosa de Wurillegowe, que fuit in famulatu ejus, viuente marito circiter quinque annos, et post mortem illius annum unum, quoadusque tunicam griseam induit, ita secretorum ejus conscia, ut vix eam quid lateret, cum beata Elyzabeth canonizanda esset, de statu ejus requisita jurata respondit: Ego Ysendrudis dominam meam sanctam Elyzabeth, eciam viuente marito semper vidi religiosam et humilem et valde caritatiuam, multumque deum timentem. De cujus humilitate cum pedisseque ejus murmurarent et indignarentur quasi quia proprie nobilitati et glorie seculari detraheret, illa nichil curans de talibus ecclesiam celeri gressu pedissequas preueniens adiit, aliquot sibi furtim genuflexiones faciens, sciens scriptum, super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem et quietum et trementem verba oris mei. Item cum adhuc existeret in habitu glorie secularis, mendicum quemdam infirmum, eciam ipso aspectu